

SCRIPTA

Numéro Scripta : 267

Bénéficiaire(s) : Fécamp, La Trinité (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1089

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relatant le différend survenu entre Guillaume Bonne Ame et les moines de Fécamp à la suite de la concession du domaine de Gisors faite par Robert Courteuse au roi de France Philippe Ier. L'archevêque de Rouen avait alors jeté l'interdit sur la Normandie, mais les moines de Fécamp, rappelant qu'ils ne dépendaient que du siège apostolique, avaient contesté cette décision. L'archevêque ayant jeté l'anathème sur eux, les moines en appelèrent au pape qui priva Guillaume de son pallium. Ce dernier, sur l'intervention de Robert Courteuse, le récupéra à condition de se soumettre au droit apostolique.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Rot., n° XIV, col. 18-19.

Indications

David Charles Wendell, *Robert Curthose, Duke of Normandy*, Cambridge, Harvard University Press (Harvard Historical Studies ; 25), 1920, p.82.

Texte établi d'après a

Anno 1089 a Salvatoris Incarnatione, ea scilicet tempestate qua guerra erat inter fratres, regem Anglorum Willelmum et comitem Normannorum Robertum, idem comes volens regem Francorum Philippum, pro eo quod se in obsidenda Feritate regis castro juverat, remunerare, et non habens de proprio quod posset dare, Gisorz sic dictum manerium sanctæ Mariæ Rotomagensis abstulit, et regi illud contulit. Hoc Willelmus qui tunc ex abbate Cadumensi præerat archiepiscopus dure accepit, et quia comitem ad hoc ut ablata redderet adducere non potuit, per totam Normanniam ecclesias omnes a divina cessare laude præcepit. Cumque et hanc Fiscannensem similiter cessare præcepisset, prior et monachi, nam abbas tum Willelmus III aberat in Anglia, respondere se cessare non posse, qui meminissent soli apostolico subditos fore, nemine excepto, vicario Beati Petri, et post ipsum suo abbati, maxime in tam nova re obedientiam debere, præsertim cum recolerent, multoties excommunicata Normannia, se semper opus Dei libere egisse absque alicujus prohibitione : abbatem suum abesse, sine ejus consilio et voluntate nihil agere posse ; beato Benedicto præcipiente cum voluntate abbatis omnia agenda esse ; quod charitatis esset, quod monasticæ consuetudinis, libenter impendere ; a Dei vero opere nunquam cessare, quo magis irritaretur. Ubi hoc audivit archiepiscopus, pravo consilio usus, neque ratione, neque justa monachorum allegatione inflexus, nec etiam papæ Romani, quem prætenderant, auctoritate revocatus, eos anathematizavit. Monachi autem scientes scriptum, quod Deo magis quam hominibus oporteat obedire, reminiscens sanctam, Romanam et Apostolicam sedem omnium caput ecclesiarum fore, et quod illa ligaverit, ligatum, quod solverit, solutum manere ; timentes ne in servitute redigerent libertatem quam a tanta perceperant sede, caventes ne tantæ sedis potestatem viderentur

evacuare, si quod illa statuerat ipsi destituerent absque ejus requisitione, vinculum quod illa non ligaverat, suscipere noluerunt ; quin potius in proposito suo permanentes, opus Dei cum summa, ut consueverant, alacritate egerunt. Interea venit abbas, et agnoscens archiepiscopum tam inconsiderate monasterium suum anathematisasse, et quod soli licebat papæ apostolico, sibi usurpasse, convenit eum. Verum nullam rectitudinem obtinuit apud eum, quia non fuit qui illam exequeretur propter clerum ; ita res indeterminata mansit : qui vero tantam in apostolicam sedem factam prævaricationem nunciaret, non defuit. Videns papa Urbanus ... prædecessorum suorum statuta violata, et Rotomagensem archiepiscopum tantum præsumpsisse in parochia sua, videlicet Fiscannensi ecclesia, per legatos suos, id est, Herbertum Theodfortensem episcopum, et Rogerium cardinalem archidiaconum, eum pro ipsa præsumptione uti pallio prohibuit, a quo diebus multis ... vacavit, atque ad sedem apostolicam de his et aliis nonnullis satisfactorum evocavit. Intercessit pro archiepiscopo comes Normanniæ, et a legatis, ut ei interim, dum papa requireretur, pallium suum restituerent, obtinuit multa supplicatione ; tali interposita conditione ut ipse Romam mittat, et juri apostolico se cum suis omnibus, salvo tantum majorum suorum privilegio, summittat : cumque sicut dictum fuerat, Romam et comes et archiepiscopus misissent ; vix papa cum archiepiscopo in gratiam redire voluit, quia tantum eum præsumpsisse non mediocriter doluit. Literas vero sigillo apostolico signatas ad Fiscannensem ecclesiam dedit in quibus ejus libertatem confirmavit, et confirmatam esse mandavit, atque ut ex tunc imposterum salva maneret, auctoritate apostolica auctorisavit.